

num Lanzavecchiam, & Facinum Trottum, qui
 ipsis interfuerunt. Dominus ipse fuit infra-scriptarum
 civitatum, & locorum, idest Mediolani, Papiæ,
 Bergami, Brixia, Laudis Pompeæ, Cremonæ, Ale-
 xandriæ, Derthonæ, Placentiæ, Parmæ, Regii, So-
 bii, Vicentiæ, Veronæ, Bononiæ, Feltrii, Civida-
 lis, Senarum, Pifarum, Perusii, Assisii, & multo-
 rum aliorum oppidorum a me supra enarratorum.

MCCCCIII. Gabriel Guascus, qui ægre ferebat
 perditam libertatem patriæ, re collata cum Buc-
 cialdo Legato, seu Præfesto Ludovici Francorum,
 & Neapolis Regis, in civitate Genuæ, die duode-
 cimo mensis septembris civitatem ipsam Alexandriæ
 tradit prædicto Buccicaldo, qui per vigintiduos dies
 illa potitus, a comite Facino Cane Casalensi ar-
 morum Duce Philippi Mariæ Vicecomitis, qui
 tunc Ducatum Mediolanense obtinebat, recuperatur.
 Hic Bononia Alexandriam tridui spatio adveniens,
 urbem noctu per Cittadellam introductus ab aliis
 civibus, qui male hoc sentiebant, ingreditur; mox
 in Civitatem cum equitibus sexcentum, & civibus
 permultis eruptionem facit, qui crudeliter adversus
 gentem Guascorum sæviens, multos eorum inter-
 fici jussit; reliqui & permulti ex Puteorum gente
 in exilium aguntur, multaque prælia ad Cittadel-
 lam iterum committuntur. Arx ipsa egregie per ci-
 ves defenditur adnitentibus ad id circumvicinis po-
 pulis. Verum factio alia adversa, cum sciret (1) in
 Cittadella ipsa frumentariæ rei inopia laborari . . .
 uxores ejiciunt, ne ea, quæ militibus parata forent,
 fæminæ consumerent. Sed Boschenfes in arcem ipsam
 maximam farinæ quantitatem, & frumenti noctu
 comportant. Quo subsidio sublevati, obsidionem
 usque in adventum Facini protulerunt; quæ fuit
 die vigesimoprimum mensis septembris. Interim multi
 mortalium capiuntur, pluresque magno pretio (2)
 libertatem redimere coguntur; magna vis prædæ per
 milites fit. Bergolum strenue armata manu se de-
 fendebat; sed cum vehementius urgeretur die vi-
 gesimosexto septembris deditioem facit. In hoc
 bello clare enituit fortitudo Gabrielis Guaschi, qui
 nomine Ludovici Francorum Regis, & Alexan-
 driam, & Bergolum tutatus viriliter, & acerrime
 est, quoad fieri potuit. Postmodum multi patriam
 relinquunt alio se transferentes; quidam in Asten-
 sem civitatem, nonnulli dominium Montisferrati pe-
 tunt. Bergolienses coguntur vigintiduobus millibus
 florenorum libertatem suam recuperare, ad id ex-
 ctore deputato, & acri, & vehementi Petro Cur-
 tio Papiensi, & ut nihil ad tanta mala reliquum
 fieret, Papienses, Casalenses, Valentiani Alexan-
 driam acceperunt, bonisque a militibus comparatis
 eam exhauserunt, quæ per Tanarum amnem, qui
 tunc forte inundabant, in patriam suam retulerunt,
 adeo ut ferro, fame, & rerum omnium egentia
 Civitas laboraret. Interim bonis omnibus spoliatur,
 ac diripitur per octo perpetuos dies incendio, &
 cæde a die videlicet S. Mathæi usque ad diem vi-
 gesimumnonum omnia miscentur. Plures domus ci-
 vium prostrantur. Gabriel Guascus Capitaneus patria
 hac relicta Astam contendit. Eodem anno die vi-
 gesimoprimum septembris Facinus Canis reliquias,
 & corpora sanctorum Evasii, Natalis, & Projecti

Casale reportari fecit magno apparatu, & pompa,
 quos in locis ubi antea quiescebant, reponi fecit.
 Ista jam annos centum octuaginta octo, mensem unum,
 dies viginti Casali Alexandriam delata fuerant, vi-
 delicet de anno 1215.

(1) Insciret MS. (2) Prælio MS.

MCCCCIV. Cum Facinus Canis Alexandria re-
 cessisset, ad civitatem Brixia se contulit, Philippi
 Vicecomitis jussu, sed inani itinere. Castrum sancti
 Georgii . . . gentis Guascorum in perduellibus habuit
 cum Viviano Guasco, & cum nonnullis militibus;
 sed cum Facinus Alexandriam reversus fuisset, ut
 ut castrum recuperaret, Viviano promisit, fide pu-
 blica intercedente, si deditioem faceret, se nihil
 mali adversus eundem moliturum; & ita deditioem
 facta post paucos dies Viviano Bergolii caput trun-
 cari mandat. Eodem anno de mense aprilis Castel-
 latiensis a civitate Alexandriæ rebellantur, Regi
 Francorum se dedentes, cujus exemplum multa in-
 super loca, & oppida finitima secuta fuerunt. Cæ-
 terum Facinus, causa, & fomentum tantorum ma-
 lorum, si quæ castra recuperasset, illa penitus di-
 ruebat. Inter cætera castrum Gamalerii igne, &
 ferro absumpsit; multi interficiuntur, plures flam-
 ma absumuntur; consimili exemplo castrum Spinæ
 funditus evulsit, & pariter castrum Oviliarum, S.
 Leonardus, ac Campania, quæ Andreas Trottus
 ab Ecclesia in stipendii præmium retinebat, nec (1)
 Frixonaria ab his malis eripitur, castrumque Por-
 tanovæ pari sævitie diripitur. Eodem anno die IV.
 mensis augusti Facinus Canis denuntiatur Guberna-
 tor civitatis Alexandriæ a Philippo Maria Viceco-
 mite Duce Mediolani: huic omnia præsidia dedun-
 tur, ex quo tantam sibi sumpsit auctoritatem, & in
 eam proventus fuit audaciam, ne dicam dementiam,
 ut Civitatis Dominum se vocari, non Præfectum
 passus fuerit. Quod licet ægre tulisset Vicecomes,
 nihilominus per octo perpetuos annos, quibus super-
 vixit, id obtinuit, viribus tamen ipsius Vicecomitis
 fractis, & debilitatis. (1) Nec non MS.

MCCCCV. Die vigesimoquinto mensis januarii
 Bertolinus Beccari Bergoliensis Ordinis fratrum Ere-
 mitarum S. Augustini, Magisterque Theologiæ da-
 tur Episcopus Alexandrinus ab Innocentio VII sum-
 mo Pontifice; cum sedes Episcopalis interregnum
 fecisset annis ducentum circiter & triginta. Eodem
 die, & anno Facinus Canis a Philippo Maria Vi-
 ceomite Blandrata comes efficitur. Eodem anno
 die vigesimo septimo mensis augusti Buccicaldus,
 Genuensis Gubernator pro Rege Francorum, ut
 opem ferret castellis per Facinum obsessis, oppidum
 Castellatii munivit, præsidiumque tum equitum,
 tum peditum transmisit, inter quos aderant strenuus
 vir Gabriel Guascus, & Dominicus Trottus patritii
 Alexandrini cum selecta armatorum manu.

MCCCCVIII. Ut Monasterium s. Jacobi a Vi-
 ctoria magis accresceret, rebusque suis fratres pro-
 videre possent, Bertolinus Alexandrinus Episcopus
 fratribus in dicto Monasterio existentibus, & qui
 per ea tempora commorabantur, Xenodochium,
 & Rectoriam s. Christophori extra portam Ge-
 nuensem sitam contulit, intercedente ad id fratre
 Baptista Senensi ejusdem Ecclesiæ Priore.